

fuerit, in Socraticis Platonis dialogis, in Senecæ, in Ciceronis, in M. Antonini Imp. aliisque gentiliū sapientum scriptis, medicam frustra quæres opem, qui motus forte animi leviores componere, sed morbum ipsum tollere non poterunt, quin accendent interdum dolorem acrius & augebunt; cum ex adverso, in nostro codice, ea consolationis vis, ea ubertas sit & deliniendi facultas, quam nec humanorum ingeniorum angustia complecti, nec lingua ulla pro dignitate possit explicare. Hinc gentiles videas in gravioribus calamitatibus, vel per Stoicam quandam ἀπάθειαν frustra niti humanitatem exuere, vel tumultuari ac fremere, & Acheronta movere, vel animum despondere, & pronos in exitium ruere; contra vero pios, verbi solatio instructos, de tentationibus suis triumphos agere, mediamque per ærurnarum vallem ovantes incedere, ac tripudiare 2 Cor. VII, 4. Cleombrotum Ambraciotam, lecto Platonis de animorum immortalitate libro, quem *Phædonem* inscripsit, de muro in mare se præcipitem egisse, Tullius refert (\*), quod ea Socraticarum consolationum vis esset, ut insanis hominibus persuaderet, εὐλογον ἐξαγωγὴν dicendam esse, cum citra reprehensionem violentas sibi inferre possent manus (\*\*), ad quam, haud immerito indignatus, disciplinam Lactantius exclamat: *execrabilis prorsus ac fugienda doctrina, si abigit homines a vita (\*\*\*)!* Contra vero ea David, tot male multatus exiliis, circumventus curis, obrutus probris, & morte undiquaque cinctus, pæana canit, sorteque sua contentus, divinam in his omnibus bonitatem & sapientiam animadvertit & concelebrat, quin & Ps. CXIX, 92. ultro fatetur, se in angustiis certo certius fuisse periturum, nisi verbi solatio contra earum impetum sese sustentasset.

e) *scripturæ  
vis ac potestas:*

5. *Incredibilis Scripturæ efficacia & potestas*, quam in animos hominum exerit, flectendos quocunque libitum fuerit Deo. Non ampullas & sesquipedalia jactasse verba censendus vel Jeremias est, ignitam celebrans verbi virtutem, & malleo similem, conterenti petram cap. XXIII, 29. vel Paulus, vivum Dei sermonem asserens & efficacem

(\*\*) *Lib. I. Tusculan. quest.* Meminit Augustinus quoque *lib. I. de C. D. cap. 22.*

(\*\*) *Victorius lib. VI. Variar. Lection. cap. 11.*

(\*\*\*) *De falsa doctrina lib. III. cap. 18.*